

fini belli coorta est tempestas, quæ in illud, dum steterit, non innotuit. Stephanus, cum violato jurejurando Angliæ regnum interciperet, primus ingenti cæde expugnavit, postea cum Barones arma in Ioannem Regem induissent, Guilielmus de *Bellocampo* ejus dominus, & ex partium ducibus, illis in manum tradidit: sed uno & altero post anno, Falco de *Breaut* obsedit, statimque à Baronibus deditioe, & à Rege dono accepit. Ingratus tamen ille novam belli molem denuo in Henricum III excitavit, dirutis sacris ædibus castrum firmavit, & vicinam regionem plurimis damnis affecit, quoad Rex obsideret, & post sexagesimum diem, victa rebellium pertinacia, hanc seditionis nutriculum in potestatem redigeret.

Machinae bellicæ.

Lectori minime ingratum fore spero, si rationem oppugnationis hujus castrum, ex scriptore qui tunc vixit & vidit, adnotavero, ut intelligamus quibus operibus, & machinis ea ætas in hominum perniciem fere perinde ac nostra, ingeniosa, usâ fuerit. Ex parte, inquit, *Orientali* fuit una *Petraria*, & duo *Mangonella*, quæ quotidie turrim infestabant, & ex parte *Occidentis* duo *Mangonella*, quæ turrem veterem contriverunt, & unum *Mangonellum* ex parte *Australi*, & unum ex parte *Aquilonari*, quæ in muris sibi proximis duos introitus fecerunt. Præter hæc erant ibi duæ machinæ lignæ arte fabrilis supra eminentiam turris & castrum erectæ ad opus balistariorum, & exploratorum. Erant etiam ibi pleræque machinæ in quibus balistariorum, & fundibulariorum in insidiis locabantur. Præterea erat ibi machina quæ vocabatur *Cattus*, sub qua fossores subterreanei ingressum & egressum habebant, dum muros turris & castrum suffoderunt. Captum est autem castrum per quatuor insulas. In primo capta est *Barbicana*, in secundo *forinseca Ballia*, tertio *insultu* cecidit murus juxta turrim veterem per mineatores, ubi per rimam magno cum periculo interiorem *Balliam* occuparunt. Ad quartum insultum ignis per mineatores turri subicitur, ita quod fumus prorupit, & fissa turris, ita quod rima in latum apparebat, & tunc hostes se dederunt. De his *Mangonellis*, *Petrariis*, *Trabuccis*, *Bricolis*, *Espringoldis*, & quod majores nostri, *The Warrwolf* vocarunt, quibus ingentia saxa magna violentia, ante Bombardas excogitatas, ejaculati mœnia valida per ruperunt: multa hic attexerentur, nisi à nostro aliena essent proposito. Sed pergit author meus, Falco in excommunicatione mansit donec restitueret Regi castrum de *Plumton* & *Stoke-Curcy*, & vasa aurea, & argentea & pecuniam quæ habebat, & inde *Londinum* ductus est. Interim jussu est *Viccomiti* turrim & *Balliam* exteriorem demoliri. Interior vero *Ballia* amoris propugnaculis & fossatis undique complanatis, *Guilielmo* de *Bellocampo* ad inhabitandum remansit, lapides concessi sunt *Canonicis* de *Newenham* & *Chaldwell*, & *Ecclesiæ* *S. Pauli Bedfordiæ*. Nec aliud tamen magis hic visendum quam hujus vestigia ad Orientale oppidi latus flumini impendentia.

Bedfordiæ utrinque subsuerunt elegantissima cœnobiola, ab Austro *Helenstow*, nunc *Elstow*, *Helenæ* *Constantini Magni* matri, & virginibus sacris à *Iuditha Waltheofi* *Comitis Huntingdoniæ* uxore consecratum: ab ortu *Newenham*, quod à fano *Sancti Pauli* intra *Bedfordiam*, *Roisia* *Pagani* de *Bellocampo* uxor transtulit.

Eaton.

Non longum iter ab hoc confecit *Vsa*, cum

vestigia diruti castrum apud *Eaton*, quæ sedes fuit altera illius familiæ de *Bellocampo*, inviserit, *Bedfordiensibus* valedicit, proxime *Biffemed* ubi *Hugo* de *Bellocampo*, & *Rogerus* frater ejus monasterium *Canonicis S. Augustini*, ut ex *Bulla Pont. Romani* constat, fundarunt. Hæc ultra *Vsam*, qui à meridie tamen prius anonymo * amniculo augetur, ad cujus confluxum *Temesford* Danorum stativis, & castro notum, quod tunc construxerunt, cum suis *Hybernis* hanc regionem premerent, & propugnaculum *Britannicum* (uti creditur) everterent, cujus locus nunc *Chesterfield* & *Salndy* dictus *Romana* numismata verustatis suæ signa sæpe exhibet. Nec dubito è situ, quin hæc fuerint *SALENÆ* illæ quas *Cat-tieuchlanis* adscribit *Ptolemæus*, si *Salndy* sit verum nomen, quod mihi nonnulli affirmarunt. *Potton* Mercatulum omitto, cum nihil de illo occurrat, quam quod *I. Kinaston* *Thomæ* *Comiti Lancastrensi* olim cum terris adjunctis dono contulerit. Nec est cur pluribus memorem quæ ad hunc amniculum affident, videlicet *Chicksand*, ubi *Paganus* de *Bellocampo* cœnobiolum extruxit, *Shelford* mercatum, *Bigleswade* equorum nundinis, & ponte lapideo celebratum. Unde parum abest *Stratton* sedes quondam Baronum *Latimer*, postea *Enderbeiorum*, & ab illis hæreditario *Pigottorum*.

* Inell nonnullis dicitur.

Potton.

Chicksand. Stratton.

Ad quintum milliare ab hujus amniculi fontibus, in ipso fere agri umbilico, colli apponitur *Ambhill*, domus ampla, regia, & castrum æmula, variis undique circumfusa à *Ioanne Cornwale* Barone de *Fanhop*, regnante *Henrico Sexto*, è *Gal-lorum* manubiis constructa, cujus bona ut legi, cum *Edwardus IV* publicasset, quod à *Lancastrensi* familia steterat, & ipsum seu potius, ut inquit ipse *Fanhop*, has ædes læsæ majestatis egisset, protinus *Edmundo Grey* *Domino de Ruthin*, & postea *Cantii* *Comiti* concessæ fuerunt; à cujus nepote *Richardo* ad *Henricum VIII* Regem devenerunt, qui eas, ut loquuntur *Cæsarei* juris periti, sacro patrimonio, ut nostri jurisprudentes, *Coronæ* adjunxit, & latifundia adnexa *Honorem de Ambhill* dixit. Hinc magis ad *Septentriones* jacet *Haughton Conquest* à familia clara & vetusta quæ diutissime incoluit sic dicta. Ad occasum *Woburn*, ubi nunc *Schola* est tenuis à *Fr. Bedfordiæ* *Comite* posita, olim monasterium floruit insigne ab *H. de Bolebec* extractum sub quo ad *Aspely* *Gowix* terram esse quæ lignum in saxa convertit, perhibent, & in ejus argumentum scalam gestatoriam ex ligno, in illa terra aliquandiu obrutam, totamque saxeam effossam in monasterio illo spectatam audivimus. Magis ad *Ortum* *Tuddington* conspicuas ædes ostendit, quas *H. Dominus Cheney* nuper construxit, ubi etiam olim *Paulinus Pever* aulicus, & *Regis Henrici Tertii* *Dapifer*, ut testatur *M. Paris*, edificium adeo palatio, capella, thalamis & aliis domibus lapideis, & plumbo cooperitis, pomæriis & vivariis communiavit, ut intuentibus admirationem parturiret. Haud longe hinc progressi juxta *Hockley in the hole*, via lutosa itinerantibus hiberno tempore admodum molesta, inter agros optimis fabis redolentes, quæ sua redolentia odorem illam canum vim non sine venatorum indignatione profus hebetant, per albicantem collem in *Chiltern* ascendimus;

Haughton Conquest. Woburn.

Terra lignum in saxum convertens.